DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

NEURALGIA

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS MARTIN,

Scotus,

CHIRURGUS.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXVI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

PATRI SUO CARISSIMO

ROBERTO MARTIN,

HAS PRIMITIAS STUDIORUM

CONSECRAT

DEDICATQUE

FILIUS

JACOBUS MARTIN.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

NEURALGIA

COMPLECTENS.

Homo animalibus aliis evidenter præstat, non modo animi dotibus quibus rerum causas cognoscit, sed etiam mirabili corporis fabrica, quæ his in omnibus ejus partibus longe antecellit.

Quisquis enim mirabile ejus artificium rite perpendit, functionesque contemplatur, quibus cor-

pus nutritur, et vita sustinetur, et læsum reficitur, concludere erit inductus, hominem valetudine secunda gaudere natum esse, et sanum in omne volubile ævum vivere. Nihilominus autem contrarium docet experientia, et nihil his verbis GREGORII est certius: "Homo enim quamvis sanus et robustus et vegetus, labentibus annis, et ipse delabitur, senescit, moritur, in pristina elementa solvitur, aliis animantibus pabulum futurus *." Huc quoque spectant verba poëtæ:

"Nascentes morimur finesque ab origine pendent."

Quibusdam auctoribus morbi ordinantur secundum functiones quæ præcipue laborant: et hic morbus de quo sum scripturus, ad genus Nervosum plane attinet; et omnium fortasse quibus cruciamur et intolerabilis fit vita, nullus majorem vindicare debet attentionem, sive cruciantes dolores spectamus quibus ægri implicantur, sive om-

* Vide GREGORII Conspect.

nium jacturam quæ homines delectant aut consopiunt.

Huic morbo igitur Neuralgia imponitur nomen, quod ab origine Græca plane pendet, et, me judice, longe optimum, quippe quod nervorum læsionem satis ostendat, quæcunque corporis pars afficitur; dum diversa inter diversos auctores accepit nomina, quæ secundum nervos affectos præcipue dantur. Hinc "Dolor superciliaris," acerbissimus; Dolor faciei, Tic Doloureux, nomina, quæ multi usurparunt. Quinetiam SAUVAGE, in ejus Nosologia, nomen imposuit Trismus Dolorificus; quod tamen cum Tetani specie, cui prorsus absimile, morbum confundere videtur, et nequaquam retinendum est.

HISTORIA.

APUD antiquissimos medicos parum aut nihil fere cognitum est de morbo quem prosequimur, et

atra caligine latere videtur, donec A. D. MDCLXV. JOANNES HARTMANN DEGENER, Belgicus, ejus naturam luculenter describeret. Quo ex tempore LUDWIG; et postea, M. ANDRÉ quoque, A. D. MDCCLVI. mentionem ejus fecerunt. Deinde Doct. J. FOTHERGILL, A. D. MDCCLXXVI dissertationem protulit, in qua, morbi natura maxime elucidatur. Post hos doctissimos, multi medici, tam Gallici, quam Germanici, de hac re scientiam haud parvam contulerunt. Nunc quod ad ejus naturam ac sedem, omnia pariter magis manifesta sunt.

Neuralgia cruciantibus doloribus diversas adoritur corporis partes: sæpissime dolet facies: si morbo afficitur ophthalmicus quinti paris nervorum: tunc frons ac oculus pariter laborant.

Si morbo corripitur nervus maxillaris superior et inferior, mala, partes præcipue circa foramen infra orbitarium, nasi nempe alæ, maxilla supe-

rior et inferior, dentes et lingua ipsa, præsertim pœnas luunt. Patet igitur si haud sistitur morbus, sed inveterascit, circa faciem omnes fere invadit et excruciat partes doloribus, qui cursum nervorum semper sequuntur.

Quinetiam non modo faciem vicinasque ejus partes contorquet, sed alia quoque corporis membra. Eruditus Doctor Good duo tradidit exempla, præter id faciei, in quibus puellæ mamma, et pes viri, mirum in modum, afficiebantur, et diu laborabant; et Dominus Abernethy quoque fœminæ mentionem facit, cujus manus sinistra morbo correpta, maxime dolebat. Porro Doctor Armstrong casum morbi vidit, similes dolores agnoscentis, in quo digiti unguis præcipue excruciabatur. Neque mihi dubium est, quin omnis alia corporis pars pari in modo laboret.

Quavis autem in parte morbo correpta, memoratu dignum est, admodum consimilia accedunt

signa, quæ crebritate atque acriditate tantum variant. Paroxysmis plerumque invadit, qui vix ultra temporis minutum, sæpe dimidio minus durant, sed singulis in horis subito et sæpissime recurrunt, et haud infrequenter per multos dies ita angunt ac excruciant, ut vitam totam miserandam reddant. Summus interdum est angor, qui sub singulis paroxysmis vultum sæpe pervadit, et exinde dolores adeo urgent, ut mors vitæ sæpe ægro videatur præferenda.

Præterea exemplum morbi intolerabilis, mihi occasio fuit videndi, dum in India Occidentali cum exercitu medicinam faciebam, in quo inferior extremitas præcipue circa genu et tarsum afficiebatur, et, ut morbi naturam patefacit, et ægri ærumnas bene describit, ita paucissimis in verbis describam.

Præfectus juvenis circiter viginti annos natus, gracilis, temperamenti sanguinei, sed secundæ va-

letudinis generalis, dum in Hispania, urbem Ciudad Roderigo oppugnabat, et, sclopetis explosis, vulnus accepit. Palulum infra ensiformem cartilaginem sterni ingressus est globulus plumbeus, et in sinistrum latus oblique descendit, et circiter duos digitos ante et supra anteriorem et superiorem ossis ilii processum spinosum alte fixus manebat. Hoc in situ ab initio anni MDCCCXII ad initium MDCCCXIX usque fuit, dolorem et molestiam nonnunquam inducens, præcipue post exercitationem aut insolitum modum vivendi. Hoc tempore, peregre abire legione sua jussa, Londinum iter faciebat, de operatione consulere. Monebatur globuli extractio, et solertissimo chirurgo in urbe alienum corpus excidebatur. Potius largum factum erat vulnus ex necessitate, et haud parvum temporis spatium occupabat, priusquam sanatum fuit: omnino tamen cicatrice convaluit, et paucos menses a dolore fuit immunis, cum hoc morbo nervoso corripiebatur.

Paroxysmi sine signis prægredientibus accedebant, et pro viginti quatuor horis cursum tenebant, quamvis quibusdam in temporibus, dolores plus minusve urgebant pro duobus sive etiam tribus diebus. In extremitate inferiore semper locum tenebat dolor, et magnum nervum sciaticum sequebatur, ad aliam partem haud relatus; sed plerumque exterius invadit femur, fere supra genu, aut trans patellam, pone fibulam inferiorem, et nonnunquam trans tarsorum ossa minimi digiti. Haud raro morbo afficiebatur extremitas utraque, sed imprimis dextra; interdum eodem in paroxysmo ab una ad alteram rapide mutabatur.

Pro primis, tribus aut quatuor annis ab ineunte morbo, inter utrumque ejusdem impetum, circiter quinque aut sex hebdomadæ intercedebant. Post hoc tempus paulum frequentiores facti sunt paroxysmi, et graviores, et interdum pro duobus aut tribus diebus durabant. Porro memoratu

dignum est, ut ultimus paroxysmus quo afficiebatur, priusquam eum reliqui et domum redii, id peculiare glandulare vitium inferret, cui nomen imponitur, Bucnemia Tropica, Anglice *Barbadoes Leg*. Solebat morbus sine signis promonentibus accedere, et maxime urgere. Descripsit dolores quasi admodum cruciantes; et dixit, multo magis acutos esse dolores, quos ex hoc morbo sentiebat, quam illos ex odontalgia, sive ulla alia dolorifica affectione unquam expertus est; adeo lancinantes, pungentes et vibrantes, circa membrum affectum tendebant. Durabat paroxysmus a quarta ad secundam usque minuti partem, cum intervallo duorum, trium aut decem temporis minutorum. Nonnunquam multo plures citius succedunt paroxysmi, alii aliis, sine ullo levamine, donec aurora ineunte, gradatim recedunt, et pulsatilem interdum relinquunt sensum; quo fit, ut adhuc insit morbi causa, quamvis, vi nervosa exhausta, dolorem inferre nequeat. Neque rubor, neque tumor in parte affecta unquam

observatus est; sed ex pressura, frictione, vel tactu alicujus externi, semper de dolore querebatur. In hoc casu morbi, quem vidi, omnia fere signa sunt manifesta, quæ accidunt, cum quintum aut septimum par nervorum afficiuntur, nempe dolores semper cursum nervorum sequebantur. Sed in plerisque morbi aliis casibus, cum quintum par nervorum afficitur, dolor ab initio mitis est, deinde gravior, et morbo ingravescente intolerabilis fit, et per nervi cursum ita serpit, ut Doctor HAIGHTON his verbis utatur: "An intelligent patient will frequently describe the dartings of pain so minutely, as to teach the practitioner several branches of the fifth pair, if he had not known it before." Dolores tamen haud perpetui sunt; sed intermittent, et per incerta intervalla redeunt, quæ ad morbi durationem plus minusve longa sunt.

Quinetiam interdum mitiores et minus frequentes noctu quam interdiu sunt morbi acces-

siones, quæ æstate nonnunquam evanescere et hyeme redire dicuntur; quod tamen haud perpetuum est. Sunt enim exempla in quibus, quam æstate minus hyeme urgent. Præterea interdum inter accessiones adeo magni sunt dolores ut tremant musculi, quasi motibus irregularibus affecti.

Hic morbus, per haud exiguum tempus, non multum turbat corporis vires; tamen paroxysmis frequentibus, dolore intolerabili, vires corporis et vim nervosam, exhaurit, et haud infrequenter Dyspepsiam gignit, quæ non longum post in Melancholiam, Hypochondriasin, aut Maniam desinat. Exemplum præfecti juvenis, quod jam retuli, vitium cruris, me teste, intulit, *Barbadoes Leg* dictum. Cum res se habent, quis non perhorret, et morbum timet, qui tales cruciatus, talem eventum infaustum habeat? Memoria tamen dignum est, ut, quibusdam in exemplis, morbus quasi tempore confectus, vi nervosa exhausta, ma-

gis tolerabilis fiat, et nonnunquam gradatim sua sponte abeat.

CAUSÆ

Constant e duobus generibus; quorum aliud e multis rebus originem ducit intra corpus, quæ idcirca internæ, dum aliud e rebus extrorsum, quæ externæ causæ, nominantur; sed limites, inter has causas, ponere perdifficile est. Aliæ enim in alias adeo facile transeunt, ut quod proclivitatem det, homini etiam proclivi morbum et faciat et excitet. De his tamen singulis dicere mihi consilium est.

PRÆDISPONENTES.

Quæ proclivitatem huic morbo dant, admodum obscura sunt: Plurima tamen prolata sunt. Quæcunque genus nervosum irritant, aut laxatum reddunt corpus, adeo ut inæqualis factus sit

sanguinis circuitus, et alicui corporis parti inducta sit ejusdem congestio, inter Prædisponentes causas jure habentur. Inde debilitas, et quæ eam gignunt, intemperantia omnigena, humida et frigida tempestas, aër impurus, gravis labor, aut perpetua ignavia, et deprimentes animi affectus, quæ omnia nervosum genus concutiunt, viresque corporis exhauriunt, multis morbis, et huic quoque, proclivitatem gignere possunt. Viri præ fœminis sunt obnoxii; sed ab aliis fœminæ præ viris putantur. Proclivis vero est sexus uterque, et media ætas magis quam aliud tempus, obnoxia. Debiles, et irritabilitate præditi, præcipue proclives. Sunt multa alia, quæ proclivitatem reddere putantur, sed aliis quam huic morbo sæpius fundamentum dant.

EXCITANTES.

Inter has causas, quæ morbum excitant, frigus et humiditas, præsertim rivulus aëris frigidi, corpore sudante, recensentur. Mentis affectus, qua-

les, ira, timor, spes, gaudium, vi pollent excitandi. Odontalgia, nec non contusiones, solitæ evacuationes suppressæ, varia cutis vitia, scorbutus, rheumatismus, morbum facere putantur ; sed frequentius occurrunt sine neuralgia unquam inducta, ideoque, vix aut ne vix quidem inter causas excitantes haberi queant. Injuria corpori illata, præsertim si nervus contunditur aut laceratur, morbum inducere jure existimatur ; et casus juvenis prius relatus probare videtur, morbum, de quo agitur, operationi succedere, præsertim cum cicatrices vulneris amplæ sunt. Denique dyspepsia, aliaque viscerum vitia quibusdam, morbum dicuntur excitare ; quos inter ABERNETHY his verbis utitur : "In the cases of Tic doloureux which have fallen under my observation, there has been great disorder of the digestive organs ; and I have known cases resembling Tic doloureux cured by correcting the unhealthy state of these organs." Sed rarius hæc vitia viscerum occurrunt, dum urget Neuralgia, neque eadem remedia hanc tollunt, quæ plerumque illa solvunt.

CAUSA PROXIMA.

Causa proxima, ut definiunt scriptores medici, est illa, quæ præsens morbum facit, sublata tollit, mutata mutat. Sed ipsa ejus notio generalis, si non prorsus falsa, saltem confusa admodum est, et obscura, et temere a rebus abstracta. Ita causa proxima in atra caligine latet. Quam unus tuetur opinionem, alter refellit. Doctor JOAN. FOTHERGILL sibi persuasum habuit, ex scirrhosa diathesi pendere morbi sedem; et hanc sententiam Doctor HAIGHTON argumentis satis validis funditus evertebat, et ita concludit: "From these considerations, I apprehend, we are at liberty to conclude, that cancer and this complaint are essentially different." Alii credunt, ex diathesi arthritica oriatur; cui opinioni, his verbis, ABERNETHY assentit: "Indeed, from what I have seen of this disease, am induced to believe, that this disorder is as much constitutional as either gout or rheumatism." Et Doctor ARMSTRONG,

ex casibus morbi, quos vidit, concludere inductus est, cerebro inesse læsionem, et non nervo ipso. Ex rebus tam diversis judicare difficile est. Denique notare mihi licet, opinionem cel. Doctoris Parry, qui credit, affecta esse capillaria vasa quæ in nervum distribuuntur, adeo ut plus justo irritetur, atque doleat.

DIAGNOSIS.

Dignoscere inter Neuralgiam, aliosque morbos quibus consimilis est, haud difficile videtur.

Nihilominus vero cum Odontalgia, Hemicrania, Rheumatismo acuto et chronico, et denique Doloribus Syphiliticis confundi potest. Sed tantum a primo hos morbos ullo in modo refert; quippe quæ in provecto statu, non modo his, sed etiam omnibus aliis morbis præstet gravissimis doloribus.

I. Odontalgia minus graves habet dolores, quam Neuralgia; quæ juventutem rarius adoritur, in qua illa maxime urget; et hæc in paroxysmis subito accedit, qui plerumque semi-minutum vix durant; dum illa fere sine distinctis intermissionibus gradatim torquet.

II. Hemicrania apud certum diei tempus homines implicat; dum morbus, de quo agitur, incertis corripit accessionibus, quæ multo breviores, et dolores magis vehementes sunt.

III. Rheumatismus acutus ab externa et plerumque evidente causa, cum pyrexia incipit; et dolor circa articulos, musculorum tractum sequens: dum in Neuralgia nulla fere est febris, et gravissimi in nervorum cursu insunt dolores, qui subito intermittunt, atque brevi recurrunt.

IV. In Chronico Rheumatismo dolores artuum, vel musculorum, motu aucti, plus minusve

fugaces, calore lecti levati: dum in Neuralgia magis ingravescunt dolores, et cursum nervorum sequuntur.

V. In Syphilitide haud lancinantes et acuti sunt dolores, qui præcipue ossibus inhærent, et noctu magis urgent; dum in Neuralgia haud infrequenter evanescunt; et de his HAIGHTON sequentia verba habet: "Besides these, there is a distinguishing character which will seldom fail to strike an anatomist, viz. the uniform course of the pain will generally correspond with that of the branch of the nerves." Hoc, credo, ab omnibus morbis facile distinguitur.

PROGNOSIS.

IN plerisque morbis sunt multa ad ætatem, sexum, et affectas functiones, quæ præsagium juvant an faustum necne sit. In hoc autem,

quippe in quo parum implicentur functiones ex quibus vita pendet, necnon paroxysmi, quamvis graves, tamen breves, intervallum a dolore immune relinquant, spei indulgere inducimur abituri morbi. Inde diem post diem videmus transire inevitabilibus molestiis, quas ars medica adhuc ne omnino tollere quidem aut interdum levare queat. Attamen quosdam morbi casus audivimus, quos tempus mitiores reddidit aut magnopere levavit; sed pauci sunt: et nonnunquam podagra, epilepsia, aut graviditate, gradatim abierunt, aut levati sunt.

CURATIO.

In morbi curatione diversis medicis diversa remedia adhibita sunt, quæ in variis exemplis, varios effectus habuerunt. Doctore Joan. Fothergill multum laudatum Conium maculatum, quod alii sine simili commodo usurparunt. Opium, inter alia

hujusmodi, secundum tenet locum, quod plurimis dicitur non modo dolorem mitigare, sed nonnunquam tollere: sed ex ejus usu, multi testantur nullum illatum esse commodum. Attamen externe applicatum, sub emplastri forma, tincturæ aut linimenti saponis cum opio, haud minime agit in dolorem fugando: et liquidum quoque, cui "*Black Drop*" imponitur nomen, prodesse inventum est. Præterea Hyosciamus niger, Atropa Belladonna, a plurimis in usu fuere, et opio præstare videnter, quia alvum constrictam haud relinquebant. Juvenis Neuralgia affectus in inferiori extremitate, quam retuli vulnere acceptam esse, post frictionem cum linimento saponis et opii, semper mitigatos, sive amotos habuit dolores, partem dolentem strictius comprimendo panni lanei auxilio, præcipue si ab initio paroxysmi factum est. Huc spectat exemplum morbi Domino Brooks relatum, in quo æger magnum accepit doloris levamen, partem premendo. Præterea, adhibita sunt alia antispasmodica, qualia assafœtida,

æther, zinci oxidum, tinctura ferri muriatis, quæ vix melius respondebant quam ea jam dicta. Porro laudatum est arsenium, quod in quibusdam casibus prodesse visum est, sed in aliis prorsus inutile fuit.

Quidam hydrargyrum credunt prodesse, si administratur adeo ut salivam leniter creat; sed permulti alii eo usi sunt sine fructu. Si in culpa sunt organa chylopoëtica, adeo ut secundum Dom. ABERNETHY morbus excitetur, exhibenda sunt purgantia ad alvum bene solvendam. Epispastica remedia, fontinelli, sive setacea prope nervum affectum, maxime existimantur; sed hæc etiam haud sæpe morbum tollunt. Pauca autem morbi exempla, Doctore ARMSTRONG suadente, liberæ cesserunt sanguinis detractioni, purgantibus, nec non vesicatoriis emplastris, quæ inventa sunt maxime pollere vi morbum sistendi. Electricitatem nec non galvanismum prodesse verisimile est; sed ne tentari quidem queant ob dolorem ad-

augendum. Denique, si faciei inest Neuralgia, aut alicui corporis parti, in qua nervi dissectio fieri potest, secandus est nervus; quod semper fere morbum solvit: et quamvis nervi adjunctione morbus redeat, tamen, quoties reviviscat, iterum iterumque operationem facere necesse est. Certum enim operatione est morbi levamen, quamvis haud longum sit.

Inter alia medicamenta, cinchona, præcipue id præparatum Sulphas Quininæ nuperrime quibusdam Gallicis medicis laudatur, et in dosibus trium granorum, bis terve in die adhibetur, sæpe summo cum fructu.

Sed præ omnibus præstat carbonas ferri, quem in usum Dominus HUTCHISON nuperrime intulit; et experientia docet felicissimo effectu. Nonnunquam brevi morbum solvit; alias pro mensibus adhibetur, priusquam felicem effectum intulit. Duo aut tres drachmæ administran-

tur in die, et eodem tempore laxa alvus tenetur.

Permulta sunt alia, quæ enumerare in ordine potui, sed quæ scripta satis superque sunt.

FINIS.